



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 103. Novum Fœdus Cæsarem inter & Galliarum Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

**Sæcul. XVI.** aureorum millia reliquerat, cum igitur  
**A. C. 1510.** has pecunias spoli jure postularet Ponti-  
 flex, Rex vero negaret, novum indigna-  
 tionis, vel saltem querelæ argumentum  
 Julio inde enatum est (\*).

## §. CIII.

*Novum Fœdus Cæsarem inter &  
 Galliarum Regem.*

*Ferron. in  
 Lud. XII.*

Sub idem tempus ambo exercitus ex  
 Germanis, Gallisque conflati conti-  
 nuis velitationibus Venetos in Patavino  
 ac Vicentino agris fatigabant, ac nonnullas  
 urbes ad deditionem compellebant, interea  
 vero Cæsarei exercitus, qui lentius incede-  
 re videbatur, adventum præstolabantur.  
 Ceterum Maximilianus non ita pridem no-  
 vum cum Ludovico Rege fœdus pepigit,  
 quo cautum, I. Galliarum Rex non nisi  
 ordinarios belli sumptus penderet; II.  
 Calvimontius in Veneta continentis ditio-  
 ne usque ad decimam quintam Augusti  
 hæreret, indeque nonnisi evoluto hoc  
 temporis intervallo Galliarum copias edu-  
 ceret; III. Ludovicus Maximiliano cen-  
 tum

---

(\*) Cum hic Cardinalis Lugduni in Galliis  
 mortuus fuerit, ibidemque Papis, eorumque Le-  
 gatis, nequidem decimas pro bello Turcico col-  
 ligere licuerit, quis credat, Papam tam opima  
 spolia petare ausum?

tum aureorum millia mutua daret, ea lege, ut hic Veronam pignoris loco cederet, donec parem Regi summam rependisset. Hujus foederis pacta ex urbe Parisiensi delata fuere ad Calvimontium, eo ferme tempore, quo is ad suam Præfecturam rediturus, sese itineri accinxerat, igitur hæc pacta exequi jussus, Anhaltino Comiti significavit, velle se copias suas Cæsareis jungere, ut ambo urbem, quæ ei magis expedire videretur, junctis viribus aggrederentur. Opportune etiam Dux Thermensis quadringentos Lancearios ex Hispania adducebat, quos Rex Catholicus ex lege Cameracensis foederis suppeditabat; igitur hisce suppetiis aucti, an ex sententia Maximiliani Patavium obsideretur, deliberarunt; verum præplacuit, Montem Selicem, exiguam urbem Athesin inter & Patavium sitam adoriri.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1510.

§. CIV.

*Urbs Montis Selicis a foederatis obsessa, captaque.*

Attamen infausta erant hujus obsidionis auspicia; tot enim ex foederatorum exercitu desiderati sunt milites, ut nil propius erat, quam quod obsidio solveretur. Acuit tamen oppugnantium constantiam ulciscendi libido, quippe Crittus Sonzinum Benzonem ab exploratoribus captum

Bembol. 10.  
Guicc. 1. 9.